ſiniſtrum F arteriã hanc in duos ramos, qui mox in vnum rurſus coëunt, inſinuat.

G Arteriarum portiones duram cerebri membranam perreptantes, ac partim in cerebri ventriculos, partim in tenuem membranam cerebri baſi obductam digeſti.

H Propago arteriæ per foramen ſecundi paris neruorum cerebri caluariam excidens, ac neruum viſorium ac dein oculum petens.

DECIMAESEPTIMAE FIGVRAE, eiuſdemq; characterum index.

HAC figura plexum finximus, cuiuſmodi is eſſe deberet, qui Galeni in libris de Vſu partium deſcriptionibus conueniret. Significet itaque hic
A, B A & B arterias caluariam ſubeuntes, moxque in
C, D mirabilem illum plexum diffuſas. C verò & D ramos in quos plexus illius propagines colliguntur, quique illis prorſus arteriarum magnitudine reſpondent, quas A & B indicauimus. Cęterùm E glandem notat, pituitam cerebri excipiẽtem.

DECIMAEOCTAVAE FIGVRAE, EIVSdemq; characterum index.

PRAESENTI figura arteriarum ſub dura cerebri membrana conſiſtentium, ac ad glandis cerebri pituitam admittentis latus reptantium ſeriem depinximus, quam in ouium ac boum capitibus obſeruamus. Atque hanc proponere libuit, ne quis nos latere arbitraretur, quæ illorum animalium hîc cum hominum ſit differentia. Significat autem in hac figura A dictam iam ſæpius glandem, B & C arteriarum ſedem, qua primum in caluariam ingrediuntur.

DECIMAENONAE FIGVRAE, EIVSdemq; characterum index.

PARVA hac figura erectam finximus pelùim, ſeu cyathum, quo cerebri pituita in glandem ipſi ſubditum diſtillat. ac dein hic finximus quatuor ductus à glande pituitam per proxima glandi foramina deferentes. Indicet igitur A glandẽ, cui pituita inſtillatur. B pelvim, qua hęc ducitur. C, D, E, F verò, meatus ad faciliorem pituitę huc decumbẽtis egreſſum paratos. Porrò præter has figuras, ad eorum potiſſimùm cognitionem ſpectantes quæ in caluariæ habentur amplitudine, etiam huc faciunt prima & ſecunda neruorum figurę quarum primam hic etiam delineauimus quæ numero vigeſima eſt: cuius indicem quod in tractatu de neruis ſatis prolixè indicauimus, abs re eſſet hîc denuò repetere: illinc igitur petas quod ad præſens negotium facere poſſit.

Quanquam 21, 22, 23, & 24 figuræ non admodũ faciant ad præſens negotiũ, ſcias tamen hoc concilio additas, vigeſimam primam præcipuè & vigeſimam ſecundam, vt monſtrarent ſedem, locũ ac teſtudinem cerebri corpus vndiq; amplectentem: Itaque vigeſima prima figura internam caluariam baſis ſedem oſtendit: hic namque Caluariam delineauimus, in qua ſuperior ipſius pars vigeſima ſecunda figura exprimenda, ad eũ modum ablata eſt, quo cerebri fabricam oſtenſuri caput ſerra diuidere conſueuimus. Vigeſima ſecunda figura reliquam internam ſedis caluariæ partem commonſtrat, figura vigeſima prima nõ expreſſam: Curioſam ſingulorum Characterum indicem non eſt quod hic expectes: id enim alterius loci eſt.

FIGVRAE OCVLI VISVS INſtrumenti.

EXPLICATIO CHARACTERVM IN figuris oculi repertorum.

PRIMA figura alteram oculi partem exprimit, vna ſectione ab anteriori ſede per poſteriorem, atq; ita per neruum viſorium diuiſi, perinde ſcilicet, ac ſi quis diuiſæ ſecundùm longitudinem cepæ alteram partem ea ſuperficie delinearet, qua alteri parti connata continuaque fuerat. Atque hoc quoque modo cœlos, & quatuor elementa in plano depingere ſolemus.

A Humor cryſtallinus.

B Tunica anteriori humoris cryſtallini ſedi obducta, & tenuiſſimæ ceparum pelliculæ inſtar pellucida.

C Humor vitreus.

D Nerui viſorij ſubſtantia.

E Tunica quam reti aſſimilamus, quamque reſoluta viſorij nerui efficit ſubſtantia.

F Tenuis cerebri membranæ portio, neruo viſorio obducta.

G Vuea tunica, in quam tenuis viſorium neruum induens membrana degenerat.

H Hac ſede vuea tunica in poſteriora comprimitur, neque corneam exteriùs illi obductam contingit tunicam.

I Foramen, quo vuea foratur, ipſa ve, pupilla.

K Tunica ab vuea initium ducens, & cilijs ſeu palpebrarum pilis imagine correſpondens, ac interſtitium pariter vitrei humoris ab aqueo.

L Duræ cerebri membranæ portio neruum viſorium obuoluens.

M Dura oculi tunica, quam dura cerebri membrana conſtituit.

N Duræ oculi tunicæ pars, quæ cornu inſtar pellucida viſitur.

O, O Humor aqueus, atque inferius O ſedem indicat, in qua ſuffuſiones plerunque proueniunt.

P, P Muſculi oculum mouentes.

Q Adhærens, albáue oculi tunica. Cæterùm ſubſequentes figuræ ſeriatim oculi partes exprimunt, primum quidem humores, ac dein tunicas. Atque has figuras omnes ſemper ad primam non ineptè contuleris: quandoquidem illæ compoſitionis ordine inuicem ſubſequuntur, ac ad primæ huius figuræ proportionem ſunt expreſſæ.

DECEM

FIGVRAE OCVLI VISVS INSTRVMENTI.

DECEM ET OCTO FIGVRARVM SEriatim primam subsequentium, & earundem characterum Index.

SECVNDA figura solùm crystallinum humorem anteriori sede exprimit, quemadmodũ is omnibus illum ambientibus partibus liberatus, è directo intuenti occurreret.

Tertia figura nudum prorsus crystallinum humorem commonstrat, ea sede se ostendentem, qua ex latere, vt ita dicam, ab aliquo spectare-
R tur. Verùm R asperitatem, sedemque notat, cui oculi tunica palpebrarum pilos referens, ac vndecima & duodecima figuris exprimenda, humori crystallino connascitur.

Quarta figura humorem vitreum ita effictum commonstrat, quemadmodum is si suam formam, quam in oculo obtinet reseruaret, in anteriori ipsius sede conspicuus esset, quum crystal-
S linus humor ex illo euulsus esset. S enim cauitatem ipsius indicat, in quam media crystallini humoris pars reponebatur.

Quinta figura vitreum humorem eadem facie qua quarta exprimit, verùm adhuc ipsi crystalli-
T nus humor T notatus innatat.

Sexta vitreum humorem ex latere exprimit, v-
V na cum crystallino qui ipsi adhuc innatans V notatur.

Septima figura aqueum humorem ex latere ita exprimit, quemadmodum in oculo consistit, & adhuc anteriorem crystallini humoris sedem
X integit. X nanque crystallinum humorem in
Y præsenti figura notat, ac Y eam humoris aquei sedem indicat, qua vueæ tunicæ pars in ipso (dũ integer est oculus) continetur, quæ à cornea abscedit, distatque.

a Octaua figura vitreum humorem a notatum, &
b aqueum b insignitum simul commonstrat, ita inuicem dissitos, quemadmodum ea dirimuntur tunica, quam palpebrarum pilis non perperam in effigie assimilamus. Atque huius tunicu-
c læ sedes inter hos humores consistens c indicatur.

Nona figura tunicam anteriori crystallini humoris sedi obnatam, & insigniter pellucidam, atque hic ab ipso humore liberatam, à latere exprimit.

Decima figura crystallinum humorem à latere ostendit, adhuc ea tunicula intectum, quem no-
d, e na figura expressit. atque hic d tunicula m, e verò crystallini humoris partem indicãt posteriorẽ, & illa tunicula non obductam, sed in vitreo humore, quum integer est oculus, natitantem.

Vndecima figura anteriorem seu posteriorem partem indicat tunicæ quam vuea producit, quę
que palpebrarum pilis assimilatur. Cęterùm hęc
g, g circulo g & g notato ab vuea pronascitur, circu-
f, f lo autem f & f insignito crystallino humori inseritur, adnascituryę.

Duodecima figura tunicam, quam vndecima ostendit adhuc vitreo humori obductam, & cry-
h, h stallino adnatam continet. h enim & h tunicam
i notant. i verò humorem crystallinum.

Decimatertia figura, tunicam ostendit, quam re-
ti dissectionis periti comparant, atq; hæc à latere exprimitur vnà cum nerui visorij substantia
k k insignita, & dura tenuique cerebri membranis libera.

Decimaquarta figura vueæ tunicę internã ostendit superficiem. hic enim ipsam euersam, vti in-
l ter secandum fit, delineauimus. l itaq; portiuncu lam notat tunicæ, in quam visorij nerui substan-
m tia dissoluitur. m sedem, in qua anterior vueæ regio introrsum seu in posteriora comprimitur.

Decimaquinta figura externam vueæ tunicæ superficiem ex latere delineatam continet, vnà cũ nerui visorij substantia, tenui membrana cere-
n bri obducta n enim nerui visorij substãtiam notat, hic à tenui qua inuoluitur membrana liberã
o o tenuis notatur membrana, nerui visorij substãtiam integens, & hic à dura membrana, quæ ipsã
p, p quoque ante sectionem obuoluit, denudata. p, p venarum arteriarumq; à dura oculi tunica in vueam pertinentium sunt portiunculæ, iam ex se-
q, q rie sectionis effractæ. q, q sedes, qua vuea tunica anteriori in parte comprimitur, & à cornea ab-
r scedit, r foramen, vueæ pupillam constituens.

Decimasexta figura duram oculi tunicam ex latere commonstrat, transuersa sectione in hoc diuisam, vt series in conspectum veniret, vasorum ab ipsa in vueam pertinentium. Significet igitur
f f neruum visoriũ, vnà cum duabus illum inuoluentibus membranis abtruncatum, & venis arte
t, t rijsq; concomitatum. t verò & t venas, arteriasq;
u, u per duram oculi tunicam excurrẽtes. u autem & u vueam tunicam hic propter duræ scissionem, conspicuam, & ramulos duræ tunicæ vasorũ ex-
x cipientem. Cæterùm x sedem indicat, vbi dura oculi tunica instar cornu læuigatur, pellucidaq;
y cernitur. sedi autem y notatæ pupillæ respondet foramen.

Decimaseptima figura integram nudamq; duræ oculi tunicæ externam superficiem ex latere spectandam exhibet, vnà cum magna visorij nerui
α, β, portione, in qua α notat ipsius substantiam, β ve-
γ rò tenuem qua obducitur membranã, γ autẽ du-
δ ram cerebri membranam, δ venas arteriasq; ner
x uum visorium concomitantes. Porrò x, & dein
y y, idem hic atq; in decimasexta indicant.

Decimaoctaua figura oculum à palpebris liberatum, atque ex sua in caluaria sede erutum, vnà cum ipsius musculis nondum disiunctis à latere
ε, ζ, ζ exprimit. atque ε neruum indicat visorium, ζ & ζ
η, η musculos oculum mouentes, η & η adhærentem
θ oculi tunicam, θ maiorem oculi circulum seu iridem, vbi adhærens membrana desinit, corneęq;
κ tunicæ pertinacissimè adnascitur. κ autem sedẽ notabit, è regione pupillæ seu minoris circuli consistentem.

Decimanona figura anteriorẽ oculi integri, & à palpebris tãtum liberi sedem exprimit. atq; hic
λ λ carunculã insinuat, in maiori oculi sedis angu-
ϑ, ϑ, ϑ lo repositam ϑ verò & ϑ, & dein ϑ, idem hic atque in præcedente figura indicant. Cæterùm si alicui oculi enarrationem ab extimis ipsius partibus persequi visum sit, is inuerso oculi figurarum ordine decimamnonam secundæ loco habebit, & decimamoctauam tertiæ, atque ita deinceps.

DE